parentur, ad quem ſunt deducendi. *Liber cui titulus: Maximes, & Reflexions ſur l' éducation de la jeuneſſe.*

Præmonendi ſunt adoleſcentes de iis jurgiorum occaſionibus, quæ illis fortaſſe excitabuntur.

Ne adoleſcentes decipiantur, ubi cuſtode remoto, in Mundi lucem prodeuntes non alium ſequentur ducem, quam bonos habitus, ſi quos forte contraxerint, & præcepta, quibus eruditi fuerint, operæ pretium eſt, eos admonere futurum ut nanciſcantur, qui illos oderint, ipſorum conſiliis adverſentur, deſideriis obſiſtant, & nonnumquam etiam immerito objurgent, increpentque: ſed cavendum ſedulo ne eorumdem agendi, vivendique rationem imitentur, eorumque veſtigiis inſiſtant. Non honeſtas dumtaxat, ſed propria etiam utilitas ſuadet, ut in hujuſmodi occaſionibus ſapientes ſint, ac ſe contineant; ne ſe ſe importune efferant, ſuumque honorem lædi arbitrentur; & minus quam fieri poteſt hujuſmodi inofficioſis occurſibus adjiciant animum, quibus ſi reſpondere coacti fuerint, id citra impetum, furoremque exequantur, ſed vultu intrepido, atque conſtanti, pudorem illis afferat, a quibus impetiti fuerint, atque ſpectatorum animos in ſui admirationem convertant. *Idem lib. 2. cap. 3.*

Ejuſdem argumenti continuatio.

Nulla in re magis adnitendum eſt, quam ut adoleſcentibus proclivis hic in iracundiam motus animi auferatur, quo ſolent efferri, ubi ſibi injuriam factam putant, vel ſe dicteriis, aculeatis jocis, æquivocis, vel contemptibilibus verbis laceſſitos exiſtimant: nihil enim magis eiſdem obeſſe poteſt, nihil magis negotium illis faceſſere, pluresque inimicitias, & ſimultates conflare; quas ut effugiant, caute ab initio procedant, opus eſt; illud vero potiſſimum caveant, ne quid temere effutiant, agantque, omniaque non naturæ, vel affectuum ſuorum, ſed rationis, atque honeſtatis conſilio operentur. *Idem.*

Quam ridicule ſe ſe plerique gerant adoleſcentes, ubi primum in mundum prodeunt.

Illud vero pleroſque adoleſcentum, qui recens in Mundi luce verſantur, non ferendos efficit, quod obſtinato ſunt animo, quod facile quælibet exempla imitantur, quod ſe magis ridiculos præbent ficto, quem affectant, urbanitatis lepore, fucataque morum venuſtate, quam defectibus ſuis. Quemadmodum numquam ſui juris fuerunt, adepta libertate ſtatim abutuntur, ut omnibus ſe ſe avide ingurgitent voluptatibus, verborum licentiam præſeferant, male audiant ob patrata flagitia, omneſque honeſtatis, atque urbanitatis leges teruntii ducant. Putant ſuavitatem illam, quam in moribus ſuis oſtendere geſtiunt, atque elegantiam, de qua gloriantur, omnium animos ſibi demereri, atque in omnibus ſocietatibus amorem conciliare; quapropter ſuperbia tument, atque exiſtimant, beatum eſſe, qui illos, licet tot diffluentes vitiis, in amicorum numero poſſit adſcribere. Videntur toto volitare foro, omnique in frequentia verſari, atque ſibi merito verti, ſi decoris veſtibus induti capite fictitiam niveamque cæſariem excutiant; vel etiam nonnumquam negligentiam quamdam oſtentent, qua non minus quam affectato corporis cultu omnibus ſe præbent irridendos. *Idem.*

Innocentiæ amittendæ pericula, in quibus verſatur adoleſcentia.

Quot ubique pericula occurrunt? Quodnam vitæ ſpatium eſt, ubi plurima non ſint extimeſcenda? Quot malis eſt juventus obnoxia, ubi affectiones tunc germinantes per fas nefaſque ruunt, nihilque intactum relinquunt? Quam vero cladem afferunt cordi, quod adhuc eſt recens? Experientiæ defectus, rationis imbecillitas, inanis tot objectorum fallentium, atque placentium fulgor, mollis eorum indulgentia, qui torrentem cohibere deberent, omnia plurimum conferre videntur ad eam ætatem perdendam, in qua maximi eſt momenti, innocentiam tueri, & in qua lapſus omnes ad ſalutem ſunt funeſtiſſimi. Quam difficile eſt, ſtare in lubrico, ubi omnia ad innocentiam ſubvertendam fœdus impium iniviſſe videntur! Animi ægritudines magis ſunt vehementes, objecta majorem ad fallendum habent illecebram; occaſiones frequentiores adſunt, & major inimicorum numerus inſtat. Cor deditione facta rebellat, ſenſus ipſi conjurationis participes ſunt, bellumque domi incluſum eſt. Vanitas ſollicitat, pravorum exemplorum torrens rapit. Gratia potens eſt quidem, ac nemini deeſt; at adoleſcentum voluntas infirma. Affectuum fervor, objectorum multitudo, morum licentia, voluptatum illecebræ prohibent, ne iis, quæ ſuppetunt, utamur auxiliis, neque inſidiæ, quas jugiter ſtruit hoſtis, detegantur. *P. Croiſet Tomo 2. ſuarum Conſiderationum.*

Ille, cujus pueritia recte fuit inſtituta, facilius provectiori ætate reſipiſcit.

Cum juxta Chriſti præcepta inſtituta fuit adoleſcentia, numquam penitus deleri poteſt amor eorumdem, & habituum piorum, ac innocentium, qui tunc contracti fuerunt; eorum memoria ſemper grata eſt, atque ſuavis. Ita cor voluptatis illecebra captum, quod repente penitus immutatum videbatur, paulatim ad priſtinum ſtatum redit; prout voluptatibus fatigatur, ac deſueſcit, ad primos redit ſenſus ſimilemque initio finem vitæ ſortitur. Hic peccati ſtatus erroris ſpecies vocari poteſt; qui enim labuntur, locum habent ſperandi, fore ut divina opem ferente miſericordia reſipiſcant. Namque propter bene inſtitutam pueritiam manent alta mente repoſita ſapientiæ, & religionis ſemina, ſerius, ocyus fructum ſuum allatura; cum e contra, qui nullum pietatis habitum adepti ſunt, dum per ætatem illorum animus æque bonis, ac malis impreſſionibus patebat, hanc in ſemet opem non habent, neque ut fortiter ſtent, ſicubi caſuri ſunt; neque ut in viam redeant, ſi aliquantiſper ab illa receſſerint. *Liber cui titulus: De l'èducation des Enfans pour le Sieur Jean Pic.*

Quam neceſſarium ſit munus pueritiæ educandæ, & quid requirat.

Ars adoleſcentes erudiendi, artium omnium princeps eſt, ac nobiliſſima. Nihil æque pręclarum ac hominum animos, menteſque formare; in illos magnarum actionum ſemina jacere, eoſque præceptis atque exemplis ita inſtituere, ut ſemet regere norint, aliis etiam aliquando egregia exempla daturi. Verum cum ars eadem tot amplectatur officia, cumque ejus objectum ſint tot varia ingenia, propenſiones, ac ſtudia, quot ſunt alumni, nulla profecto hac majorem exigit curam, laborem, aſſiduitatem, prudentiam, præparationem, patientiam, cognitionem. *Idem.*

Plurimi refert, ſi adoleſcens præclarum ſuæ virtutis ſpecimen dederit.

Ex primis illis ideis, quas de ſe apud alios adoleſcentulus adſtruit, ſemper impoſterum de eodem fertur judicium; quamobrem plurimi refert præclara ponere primordia; videlicet nihil temere, ac ſine ulla præcautione operari, præſertim vero præ ſe minime ferre quamdam licentiæ, ac libertatis ſpeciem, quæ familiaris admodum ſolet eſſe eorum pleriſque, qui de obedientiæ ſtatu egrediuntur; ita enim reparare velle videntur omne illud temporis ſpatium quod in voluptatibus nequiverunt impendere. Qui hoc de ſe ſpecimen ab ineunte ætate præbuerit, diutius communi exiſtimatione, atque approbatione perfruitur; verum admonendus eſt, ſi turpis nomini ſuo nota inuratur a puero, hanc vix, ac ne vix fortaſſe delendam; atque rem immenſi operis, ac laboris eſſe, ut nominis gloria, cujus ſubiit jacturam, refloreſcat. *Idem.*

Præcepta, quibus adoleſcentes optimæ educationis exiſtimationem ſibi conciliare poſſunt.

Ut autem facilius adoleſcentes egregium aliquod ſuæ virtutis ſpecimen tribuant, ne conflatam ſibi haud æquam exiſtimationem delere teneantur, maturato præparandi ſunt, ut multa primis illis initiis audiant, animi impetum moderentur, amicos ſibi comparent, ad quorum vivendi rationem ſe ipſos informent, alienis advertant defectibus, ut ſibi caveant, ne in eoſdem illabantur: æquis excipiant auribus, quin adverſentur, laudes eorum, quæ ipſis placere minime poſſunt; ipſi vero perraro laudibus alios extollant; quæ enim ea in ætate laudes tribuuntur, illi ipſi, cui tribuuntur, non ſatis ad honorem prodeſſe videntur; numquam judicium in re dubia ferant, de re nullą glorientur, quidquid ſibi dictum fuerit, æqui bonique faciant, ingenium ſolidum potius habere malint, quamvis vanum; ſuas probent ſententias, quin tamen illis mordicus hærere videantur; & rationis, & urbanitatis cauſa cedant illis, qui pertinaciter nimis ſuas afferunt opiniones; ſuavi, lenique vocis tono loquantur, attamen citra affectationem, ſicubi acciderit occaſio, in qua ſolent alii vocem attollere; numquam effutiant ſeu ex imbecillitate, ſeu ex vanitate, ſeu ex loquendi cacoethe, quod propriæ creditum fidei alto eſt ſilentio obruendum. Demum vel prorſus non loquantur, vel ſemper opportune loquantur. *Idem.*

Quomodo ſe ſe gerant adoleſcentes, ubi primum in mundi lucem prodeunt.

Inter graviſſimos juvenum defectus, ubi primum in mundi lucem egrediuntur, ille jure cenſendus eſt, quod honorem ſuum in re minimi momenti agi putant. Illis perſuaſum debet eſſe, nominis famam non eſſe in eo poſitam, ſi aliquid inſulſe dictum deprehendant, vel ſi iracunde reſpondeant. Qui quædam habent Religionis principia, immo & qui mundum norunt, ac ſciunt quanam in re honor ſit poſitus, nequaquam injuriis repellunt injurias; immo quod alii ſtolide effutiunt, etiamſi ad

ad ipſos pertineat, labi ſinunt, gloriam ſuam in ſtultorum, imperitorumque verbis minime ſitam putant; & cum ſe ſe continere non poſſunt, quin a ſe illatam calumniam depellant, non ſuperbo, neque irato animo alienis dictis adverſantur, ſed moderate, ſapienterque reſpondent . . . Nihil eſt, ubi magis ſit adlaborandum, quam ut huic medeantur juvenili iracundiæ, qua ſtatim corripiuntur, ubi ſe injuria putant affectos, & alienis dicteriis, falſiſque jocis petitos. Ex omnibus affectibus, quibus obnoxii ſunt, nullus hoc pernicioſior eſſe, nullus magis negotium faceſſere poteſt. *Idem.*

Adoleſcentes, ubi remoto cuſtode libertatem nacti ſunt, illico malum, quod ignorabant, ediſcunt, atque illud gloriæ ſibi vertunt. Quin libertate, qua frui incipiunt, in id utantur, ut tradita ſibi egregia pręcepta ſequantur; e contra in vetitum ruunt, eamque vivendi rationem inſtituunt, quæ neque religione, neque ratione coercita prorſus & honeſtati, & utilitati, & conſcientiæ, & quieti ipſorum opponitur. Non defectus tantum naturales, & acquiſitos multiplicant; verum eos etiam ſibi vendicant, quos fortaſſe habere non poſſent, ne inferiores illis videantur, qui ad extremum uſque flagitiorum omnium pervenerunt: ita ut graviter aliquando delinquant, non quod illuc a natura corrupta rapiantur, ſed ut in omni ſcelere proſtituti videantur. Propter habitum in ea ruunt flagitia, in quæ ingenio ſuo non feruntur; atque naturam in malum pronam, uti ſæpe in bonum conamur, efficere ſtudent proniorem. *Idem.*

Ejuſdem argumenti continuatio.

Plerique fortunarum ſuarum, vel nobilitatis opinione efferuntur; ideoque ſuperbi ſunt, inofficioſi, contemptores eorum, quos infra ſe putant, eos vero, qui & honoribus & opibus præſtant, nulla excipiunt reverentia, honore nullo; alienorum officiorum cenſores, zelotes, & erga æquales aſperi, difficileſque. Nihil præter aureas veſtes, ornatuſque cogitant, multa ſe ſtipatos famulorum caterva circumſpectant, ac plura moliuntur ſibilis, atque cachinnis excipienda. Summa pernicitate in omne voluptatum genus ruunt, & nihil ipſos a ſuſcepto itinere detorquere poſſe arbitrantur. Honeſtatis, amicitiæ, prudentiæ, immo etiam Chriſtianæ Religionis officia illis importuna, ac minime ferenda videntur. *Idem.*

Rectæ inſtitutionis defectus omnia vitæ civilis incommoda parit.

Eorum ætas, quibus ab ineunte ætate recta, ac religioſa præcepta minime fuerunt tradita, in affectuum ſuorum nequiſſima perturbatione adoleſcit, ideoque probitas, ac fides in fidelibus, iis etiam, qui magis frugi cordatique cenſentur, deinceps tantopere deſideratur. Eccleſia conqueritur; res publica luget; diffident familiæ; publica utilitas jacturam ſubit; juventus in omne fas, nefaſque ruit; vita humana calumniæ, perfidiæque commercium eſt; ſenectus vitiorum, nequitiæque ſchola; mors vero ſcelerum, vel deſuetudo, vel ſupplicium. Verum hæc omnia mala ex hoc uno fonte profecta putanda ſunt, quod pueritiæ negligitur inſtitutio. *Liber cui titulus: De Mundi cognitione.*

Cum illis gratulandum eſt, quod felix, atque Chriſtiana educatio ab ineunte ætate docuit animi ægritudines in ipſo ſuperare primordio inconditoſque appetitus cohibere: licet enim unuſquiſque in lucem prodeat non ſine corruptionis labe, ac enorme pondus ſingulos ad malum trahat fere antequam cognoſcatur; dici nihilominus poteſt, educationem, primoſque habitus in utramque partem, ſeu ad vitia, ſeu ad virtutes amplectendas plurimum conferre. Qui ergo a pueritia ea ſibi denegare conſueverint, quæ legi atque rationi adverſantur, ubi Dei ſervitio ſe ſe addicere velint, maturato virtutis guſtum, ſuavitatemque percipient, quin ejus difficultatibus deterreantur.

ADULATIO.

Qui eam patiuntur, & faciunt; Complacentia &c.

MONITUM.

Vitium hoc, in quod non Chriſtiani tantummodo Patres, verum etiam Ethnici philoſophi toto pectore invecti ſunt, nunc quoque non ſecus ac olim paſſim viget, atque graſſatur; quamobrem non ſatis miror, quod Evangelici verbi præcones de ſuggeſtu zelum ſuum in adulatores, atque in adulationes, quæ apud omnes plurimorum flagitiorum cauſa, immo etiam maximarum calamitatum origo habitæ ſunt, non ſatis oſtendant. Pauci profecto in hoc argumento ſermones inveniuntur, & equidem me nullum audiviſſe confiteor. Quænam vero hujus negligentiæ cauſa afferenda eſt? Num Concionatores, quia non ſemper eas laudes reſpuunt, & plauſus, quibus ſuæ conciones excipiuntur, ideo huic vitio pepercere, cui & ipſi obnoxii videntur? an quia & ipſi nonnumquam iis blandiuntur viris, quos ſatagunt delinire? De illis, qui adeo ſancto munere perfunguntur, tantum nequitiæ non crediderim; reor potius, hoc illis argumentum non ſatis affluentem rerum, ſententiarumque copiam viſum ſuppeditare, ut ad juſtæ orationis menſuram excreſcere poſſet oratio; ideoque illos vel ſatis ſuo muneri feciſſe arbitratos, ſi, ubi ſe ſe obtuliſſet occaſio, in hoc vitium erumperent, vel potius contemnendum, quam totis viribus impugnandum cenſuiſſe. Ad id igitur eam, quæ ſufficere valeat, materiam inſtructurus in ordinem cogam, quidquid hac de re contigit collegiſſe, poſtquam monuero:

1. Adulationem inter, atque Complacentiam tantum ſimilitudinis intereſſe, ut alteram ab altera ſejungendam minime duxerim; cum in hoc tantum differant, quod complacentia poteſt quidem aliquando eſſe virtus, & quidem in hoc vitæ commercio neceſſaria; cum adulatio ſemper vitioſa ſit, ac in ſequiorem partem ſemper accipienda.

2. Alienorum defectuum, vitiorum, flagitiorumque tolerantiam, quorum torrens cohiberi non poteſt, vel quæ diſſimulantur, ut his graviora ſcelera probibeantur, a complacentia, atque adulatione eſſe diſtinguendam; cumque operæ facturum pretium, qui de utriuſque diſcrimine auditores ſuos commonuerit.

3. Adulationem, cui aures præbentur, quæque ſit, duplex eſſe peccati genus, ad quod evitandum varia conſilia, atque rationes ſunt ſuggerendæ; poſſe tamen de utroque in eadem concione verba fieri; alterum enim ſine altero eſſe vix poteſt.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus argumenti lineamenta.

I. Bifariam conſiderari poteſt adulatio, ratione tum eorum, qui ſibi laudes geſtiunt deferri, tum eorum, qui aliis adulantur; quod concionis argumentum, atque partitionem poteſt ſuppeditare.

In priori parte, 1. oſtendetur infirmitas hæc adeo perdite vanitatem, hominumque æſtimationem aucupandi, quę fluxa, fragilis, atque animo vere Chriſtiano indigniſſima eſt. Ita enim oſtendimus, quam male id intelligamus, quod noſtram æſtimationem meretur, & quam parum ad illud indipiſcendum adlaboremus. Licet enim Sapiens hortetur, ut ſedulam nominis noſtri curam geramus; ejuſdem jacturam facimus, cum vitę noſtræ ra-

rationem juxta adulantium approbationem inſtituimus; qui dummodo nobis placeant, omnia promiſcue probant, atque laudibus celebrant. Interim nobis apud cordatos viros contemptum, atque indignationem conflamus, qui quo majori gloriæ deſiderio nos flagrare cognoſcunt, eo magis nos ignorare veram ejuſdem conſequendę rationem, immo in aliam prorſus viam aberrare conſpiciunt. 2. Imbecillitatem hanc etiam ſatis aperte præſeferimus, eo quod amicos nobis temere, ac imprudenti electione comparamus; pręferimus enim aſſentatores, homines malos, dubiæ fidei, propriam tantum utilitatem quærentes, ac ſemet ſolum amantes, veris poſthabitis fidelibuſque amicis, qui noſtris ſtuderent commodis, ſalutaria monita ſuppeditarent, atque non ſpernendam conferrent opem, ut meliores, atque perfectiores evaderemus. 3. Hæc autem magis aperte ſe ſe imbecillitas prodit, quod non intelligimus, nos ab adulatoribus decipi, in errorem induci, ac verti in ludibrium; tunc ſępius cachinnis excipi, ubi coram nimiis laudibus extollimur; & conſcientiam noſtram longe fidelius nobis teſtimonium exhibere virtutum, aut vitiorum noſtrorum, quam aſſentatorum mellita verba, quæ ne flocci quidem facienda ſunt. 4. Apparet denique in eo noſtra imbecillitas, quia non ſatis ea cavemus pericula, quæ ſubimus, paſſi nobis fucum fieri, ac fictis mendacium amicorum laudibus, atque approbationibus decipi. Hęc autem pericula ſunt; quod numquam ea corrigimus mala, quę nomini, ſalutique noſtræ maxime officiunt; in pravis habitibus inveteraſcimus; quotidie in novos defectus illabimur, quibus adulatores applaudunt, ac Dei tandem ipſius odium ciemus, quemadmodum ex pluribus Bibliorum exemplis innoteſcit.

Pars Altera. Adulatio argumentum eſt ignaviæ in illis, qui mellitis verbis aſſentantur. 1. Quia hoc ut plurimum præſtant animæ ſerviles, atque turpis lucri cupidæ, quæ eorum, quorum gratiam captant, quodlibet factum laudibus efferunt, quamobrem frequentius in Principum aula, & apud eos, qui honoribus, opibuſque florentes ſunt, potiſſimum inveniuntur; eorum enim ope magnum aliquid conſequi, atque ſuas fortunas provehere arbitrantur. Hac illi ſpe illecti, ſe ipſos torquent, miſerrimam ſerviunt ſervitutem, atque in omnem fortunę habitum ſe ſe componunt, ut placeant; quidquid alii dicunt, vel faciunt, approbant, eorum inſolentiam tolerant, vitia in virtutes convertunt; & magnum aliquid præſtant, niſi iniquiſſimarum, peſſimarumque affectionum, ac libidinum miniſtri fiant, quemadmodum earumdem ſunt ſeduli approbatores. 2. Hi enim ſunt, vel ſervi infideles, vel tecti inimici amicorum perſonam gerentes, qui eos perdere geſtiunt, quibus adhærent, & quibus tamquam viliſſima mancipia ſe ſe addixerunt; nam ſuis adulationibus celant, quid de ipſis vere cæteri ſentiant, efficiunt, ne veritati aditus ad viros principes pateat, qui tot laudum cumulo intumeſcentes, ſe illas mereri opinantur; qua in re minimum detrimentum, quod ab indignis capiant adulatoribus, hoc eſt, quod eorum omnium, quę bona geſſerunt, amittant merita ob eam ſuperbiam, inaniſque glorię ſenſus, quos ex illorum aſſentationibus percipiunt. Itaque vere dici poteſt, aſſentatores virtutis hoſtes habendos eſſe, propter immeritas laudes, quas tribuunt, & amicos, vel potius vitiorum omnium fautores, quia illa excuſant, vel etiam probant, licet ratio, & conſcientia longe aliter ipſis perſuaſerit. 3. Adulatores indigni palam oſtendunt ſe omni non ſolum honeſtate, verum etiam conſcientia, religione, & probitatis ſenſu carere, malum, & bonum promiſcue laudantes, atque per hoc ſe reos, ac participes omnium malorum præbentes, quę probant, omnium vitiorum, quæ laudant, ſcelerumque omnium, quibus cauſam afferunt, alienis flagitiis, atque peccatis blandientes.

II. 1. Malum, quod adulanti parit adulatio. Peccat contra proximi charitatem; Reus eſt delictorum omnium, in quæ vel ſuadendo alios impellit, vel quæ fovet laudando. Se indignum fide præbet, tamquam infidelis, & proditor. 2. Malum, quod infert adulationem amanti, vel inquirenti. Efficit enim ut bonarum actionum merita amittat; prohibetque, ne ad frugem redeat, eumque in ſceleribus, flagitiiſque ſuarum laudum auctoritate confirmat.

III. 1. Adulator contra ſinceritatem delinquit, vel fictitiis vel immodicis laudibus proximo fucum faciens, quod præ omnibus mendaciis pernicioſiſſimum eſt. Non enim operoſum eſt probare, neminem impudentius mentiri, blandius fallere, ac facilius efficere, ut pro bono malum accipiatur, quam aſſentatorem; quoniam ultro illum diligimus, ei favemus, eique credimus in iis, quæ ad noſtram laudem pertinent. 2. Contra juſtitiam peccat, illos laudibus cumulans, qui eas non merentur, eorumque ſcelus approbans, qui non elogiis, non laudibus, ſed cenſuris, atque ſuppliciis digni ſunt; ideoque in hujuſmodi homines eæ decidunt maledictiones, quas Deus per Iſaiam Prophetam effudit: *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, dulce in amarum*. Iſaiæ 5. 3. Peccat contra Charitatem, proximo ſuis aſſentationibus ſuadens, ut in ſceleribus perſeveret, & prohibens, ne reſipiſcat, atque ex cœno flagitiorum emergat, quod profecto malorum eſt maximum.

IV. 1. Adulator omnia violat civilis ſocietatis jura, cui perniciem molitur efficiens, ut malum pro bono, ac vitium pro virtute habeatur, & mentem, moreſque illorum corrumpens cum quibus init familiaritatem. 2. Amicitię leges perfringit, cujus ille præcipuus eſt finis, ut amico indigenti opituletur, nutanti ſalutaria afferat conſilia, eumque ad virtutis amorem accendat: liquet enim, adulatorem, ea prorſus quę ſunt oppoſita, facere. 3. Omnia charitatis chriſtianę fundamenta ſubvertit, proximo pro virili malorum omnium maximum procurans, æternam videlicet calamitatem, illum in vitiis detinens, atque ne ex illis emergat, obſiſtens.

V. 1. Adulatio vitium eſt, quod omnes jure vituperant, at plerique tamen cum voluptate patiuntur; quoniam amori proprio velificatur, vanitatem fovet, defectus, & crimina excuſat. 2. Vitiorum omnium inſenſiſſimum eſt, in quod mortales omnes invehuntur, & nihilominus præ cæteris magis requirunt. 3. Vitium turpiſſimum eſt, contemptibiles enim efficit hujus vię viros; verumtamen hoc maxime adfectatur, atque uſu recipitur, ab iis a quibus officioſi hominis aura captatur.

VI. De mundi complacentia. 1. Fieri non poteſt ut omnibus placeamus, quin diſpliceamus Deo: oportet enim, hos quidem palpare, cum illis diſſimulare, criminoſos imitari, ac ſe illis præbere ſimiles, quibus placere ſtudetur; vel ſaltem eos laudare, illis plaudere, quod Evangelii, & conſcientię legibus adverſatur. 2. Nulla æque infelix ſervitus eſt, neque chriſtianę libertati magis oppoſita, quam ſe ſe alienis ſubmittere affectibus, ſtudiis, propenſionibus, vitiis, & cogi nonnumquam ut aduleris, diſſimules, conniveas, quin hiſcere audeas, ne dicam monere, ſenſuſque tuos liberiori ſpiritu promere. Hinc ſtudium illud, quo ut amicis, immo & iis omnibus, quibuſcum vivimus, placeamus, adnitendum eſt, numquam eo uſque progredi debet, ut ſuperioribus aſſentemur, æqualium vitia diſſimulemus, ac inferiorum toleremus improbitatem.

VII. 1. Oblectatio illa, qua perfundimur cum palpantium laudibus celebramur, vulgo pro levi culpa tantummodo habetur; verum quanta illius ſit gravitas, & quam metuenda ex effectibus liquido innoteſcit. Ambitionem enim, ac ſuperbiam fovet, nos in vitiis, defectibuſque noſtris detinet, & quodammodo incorrigibiles efficit. Cum vitiorum approbatores invenimus, atque pro cenſuris, & correptionibus encomiis excipimur, impure in omne ſcelus abdimur. 2. Præcautiones, atque remedia, quibus uti debemus, ne hac alienarum laudum oblectatione alliciamur. Prima eſt intus & in cute noſtros defectus introſpicere, aque conſcientię ſtimulis aures diligenter præbere. Secunda cogitare quam doloſa, & mendacia ſunt mortalium judicia, & quam parum fidendum ſit alienis elogiis, atque ſuffragiis. 3. Intelligere nos reipſa tales eſſe, quales coram Deo ſumus; nihilque ad noſtram ſalutem attinere quidquid de nobis homines ſentiant, atque effutiant.

VIII. 1. Palpator nocentior eſt invidente, licet æque utrique turpitudo, atque infamia adhæreat. 2. Magis metuendus eſt quam obtrectator; majorem quippe proximo infert injuriam. 3. Magis pernicioſus eſt apertiſſimo, infeſtiſſimoque inimico; magis enim officit.

IX. 1. Adulatio laqueus eſt Dæmonis pernicioſiſſimus, majori enim arte in nos præparatus eſt, & minus inde nobis proſpicimus; quamobrem facile in illum impingimus, & ab illo capimur. 2. Rationes doloſiſſimi hujus laquei evitandi hæ ſunt: Primo blandis harum ſyrenum cantibus aures obſtruere, ne illecti ſtatim ſeducamur; palpatores ipſos inofficioſa aſperitate repellere, quemadmodum Filius Dei Scribas, & Phariſæos repulit, qui venerunt, ut mellito verborum lenocinio eumdem deciperent: *Quid me tentatis hypocritæ?* Matth. 22. Eos tamquam ſeductores vitare, & fugere efficiendo, ut fraudem ſuam ſatis eſſe compertam intelligant, noſque minime fore ipſorum dolis capiendos, ſciant.

X. 1. Nullum magis nequam vitium eſt, & quod melius perſonam gerere norit, quam adulatio. Cum enim illam repellamus, quæ ſe ſe facile prodit; ſubdolo verborum circuitu, fucatiſque ſermonibus utuntur palpatores, ut quidquid blandientes inquiunt, clanculum irrepat, atque in audientium animos ſibi aditum aperiat. 2. Nihil magis periculoſum, vel pernicioſum eſt, ubi ſemel jucunde admittatur; ita ut aſſentatoribus ea Prophetę verba poſſint applicari: *Molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum, ipſi autem ſunt jacula*. Pſalmus 54.

XI. 1. Quanta ſit ejus improbitas, qui ut alterius amicitiam aucupetur, aſſentationibus utitur, virtutem, ac bonum, quod in illo deprehendit, exaggerans, ſeu ejuſdem vitia, & crimina laudibus celebrans, eaque facta probans, quæ jure ab aliis improbaniur. 2. Quantum ſit eorum periculum, qui adulationem diligunt, atque verba ſibi dari cupiunt.

XII. 1. Adulatio turpis eſt ſervitus, 2. criminoſa complacentia, 3. ficta, & infidelis amicitia.

XIII. 1. Adulatores pro virili e terris, ac hominum ſocietate veritatem exterminant. 2. Vitium in loco virtutis conſtituunt. 3. Neque bonis, neque malis, quod æquum eſt, tribuunt; laudant enim, qui laudes non merentur; vel plus quam par eſt, exigua aliorum merita extollunt.

PARAGRAPHUS II.

Fontes Auctoreſque unde haurire liceat copiam ad propoſitas orationum partitiones tractandas.

Sancti Patres. SAnctus Cyprianus *Serm. de jejunio, & tentat. Chriſti* de adulatione verba facit occaſione deſumpta ex verbis, quibus Dæmon Salvatori aſſentatus eſt.

S. Ambroſius *l. 2. de Offic. c.* 21. oſtendit immodicum complacendi ſtudium, eſſe amicitiæ genus haud nimium diuturnæ.

S. Hieronymus *Epiſt.* 14. *ad Celantiam* oſtendit quam pernicioſum, atque commune ſit hoc vitium.

Idem in caput 27. *Prov.* oſtendit adulationem non minus obeſſe, quam obtrectationem.

Idem, vel Auctor Epiſtolæ *ad Demetriadem* detegit adulantium dolos, & qua ratione in principum virorum animos irrepere adnitantur.

Idem in Epiſtola ad *Galatas* illa explicans Apoſtoli verba: *Ergo inimicus factus ſum vobis, veritatem dicens*; ait, pernicioſiſſimum adulationis genus eſſe veritatem celare.

S. Jo. Chryſoſtomus *Hom.* 88. *in Matth.* oſtendit, adulationibus mortales effici ignaros, atque inertes; objurgationibus vero, etiam importunis, corrigi, & excitari.

Idem in *Pſalmum* 11. ea Prophetæ verba explanans: *labia doloſa in corde, & corde locuti ſunt*, probat nullum cor minus eſſe ſincerum, magiſque doloſum, quam cor adulantis.

S. Gregorius *l.* 8. *Moral. c.* 4. eas affert maledictiones, quas per os Prophetarum Deus in adulatores ejaculatur.

Idem *lib.* 18. *Moral. cap.* 4. illa Ezechielis explicans verba: *Væ qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus*, praviſſimos adulationis effectus oſtendit.

Idem *l.* 31. *Moral. cap.* 12. cladem amplificat, quam afferunt aſſentatores, quos comparat locuſtis, quæ olim omnem late Ægyptum depopulatæ fuerunt.

Idem *l.* 4. *Moral. c.* 29. peccatores incorrigibiles ab adulatoribus effici oſtendit.

S. Auguſtinus *Epiſt.* 135. *ad Severum Abbatem* probat amicitiæ adulationem opponi.

Idem *contra literas Petiliani* ait adulationi aures non præbendas, cum teſte conſcientia cognoſcimus nos tales reipſa non eſſe, quales ab adulantibus exhibemur.

Idem in Pſalmum 39. explicans ea verba: *Confundantur, qui dicunt mihi: Euge, euge*, docet quoſnam deceat eſſe ſenſus noſtros, ubi quis nos laudat, vel nobis aſſentatur.

Idem *in Pſalm.* 9. oſtendit adulationem vitium eſſe, criminoſos criminum ſuorum amatores magis efficiens.

Idem *in Pſalm.* 49. probat eum, qui viro nequam adulatur, participem alienæ fieri nequitiæ.

Idem *in Pſalm.* 69. adulantium linguam nihilo minus eſſe pernicioſam quam obtrectantium.

Idem, vel Auctor Sermonum *ad fratres in Eremo ſerm.* 29. ob oculos ponit, quanto perſequi odio adulatores oporteat.

S. Bernardus *in lib. ſentent.* hæc 4. cap. Canticorum verba, *Mel, & lac ſub lingua tua*, interpretaturus oſtendit adulantium diſcrimen, & eorum, qui cum zelo, & pudore vitia corripiunt.

Idem in Epiſt. *ad Ramaldum Fuſmaſcenſem Abbatem* oſtendit nullum nobis graviorem eſſe inimicum, laudante, atque blandiente.

P. Suffren Anni Chriſtiani tomo 1. de converſatione 3. Puncto. Aſcetici aliique.

Liber cui titulus, *la guerre aux vices*, fuſius de adulationis vitio verba facit.

P. Heliodorus de Pariſiis Capucinus, ſermone 7. de Converſatione de bono, & malo complacendi ſtudio late diſſerit.

P. Jacobus d'Autun Capucinus Tomo 2. *de la Conduite des illuſtres* cap. 20. de adulatione verba facit, cujus exceſſum lenitati inquit opponi; & capite ſequenti de remediis contra adulationem loquitur.

Eſſais de Morale Tom. 3. c. 12. ubi præcepta traduntur ad adulantium linguam intelligendam.

Drexellius in *Phaetonte*.

Chreſſolii Myſtagogus *l.* 4. *c.* 23. *&* 24.

Mathias Faber *Concion. in Dominic.* 22. *poſt Pentec.* Concionatores.

Eſſais des Sermons Tom. 3. Serm. pro Feria 3. Hebdomadæ Paſſionis.

Eſſais des Sermons pro Dominicis, Sermone pro Dominica 11. poſt Pentec.

In libro, cui titulus *Diſcours Moraux* unum de adulatione reperies.

P. Girouſt in Quadrageſimali feria 3. poſt Paſſionis Dominicam de Mundi complacentia loquitur.

Auctor Sermonum in omnia Ethieæ Chriſtianæ argumenta Tomo 2. Sermonum particularium, hoc argumentum fuſius pertractat, idemque de eodem in Quadrageſima in Concione de Amicitia ſermonem inſtituit.

Peraldus Tom. 2. *De peccato linguæ* c. 7. Collectores.

Summa prædicantium. Verbo *Adulatio*.

Theatrum vitæ humanæ.

Labata in Theſauro propoſitiones habet 22. hujus argumenti.

Stapleton in Promptuatio Morali in Domin. 2. Adventus.

Lohner in *Bibliotheca Manuali*. V. Adulatio.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, Bibliorumque applicationes ad hoc argumentum.

QUI dicunt impio, juſtus es, maledicent eis populi, & deteſtabuntur eos tribus. Prov. 24.

Simulator ore decipit amicum ſuum. Prov. 11.

Qui juſtificat impium, & qui condemnat juſtum, abominabilis eſt uterque apud Deum. Prov. 17.

Vir iniquus lactat amicum ſuum, & ducit eum per viam non bonam. Prov. 16.

Qui corripit hominem, gratiam poſtea inveniet apud eum, magis quam ille, qui per linguæ blandimenta decipit. Prov. 28.

Homo, qui blandis, fictiſque ſermonibus loquitur amico ſuo, rete expandit greſſibus ejus, Prov. 29.

Meliora ſunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oſcula odientis. Prov. 27.

Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum, ſic probatur homo ore laudantis. Ibidem.

Melius eſt a ſapiente corripi, quam ſtultorum adulatione decipi. Eccleſ. 7.

Laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ. Pſalmus 9.

Corripiet me juſtus in miſericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Pſalm. 140.

Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant. Iſaiæ 3.

Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. Iſaiæ 5.

Væ qui juſtificatis impium. Ibid.

Loquimini nobis placentia. Iſaiæ 30.

Væ qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas. Ezechiel. 13.

Digni ſunt morte, non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus. Ad Rom. 1.

Unuſquiſque veſtrum proximo ſuo placeat in bonum, ad ædificationem. Ad Rom. 15.

Per dulces ſermones, & benedictiones, ſeducunt corda innocentium. Ad Roman. 16.

An quæro hominibus placere? Ad Galat. 1.

Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis. 1. ad Theſſalon. 2.

Ergo inimicus vobis factus ſum, verum dicens vobis? Ad Galat. 4.

Exempla ex veteri, novoque Teſtamento deprompta.

Primorum parentum exemplum.

ADulatio in utramque partem accepta ſive fiat, ſive audiatur, eamdem cum terrarum orbe jactat originem; hinc enim humani generis pernicies incœpit. Quis enim ignorat, quo aſtu dæmon ſit uſus, ut Evam deciperet? Sexus imbecillitatem noverat, qui ſibi laudes deferri geſtit, ideoque illuc vim ſuam convertit qua facilius impetum ſe facturum putavit, eidem chimericam immortalitatem, perfectamque boni, malique ſcientiam promittens. Valida quidem erat tentatio, & laqueus tectus; in hunc mulier impegit, & licet adulatio ſatis eſſet patens, & craſſa, illa tamen decepta, victaque fuit. Ecce primam omnium malorum noſtrorum originem. Non omnino tamen actum erat, niſi per ſummam ignaviam vir mulieri placere ſtuduiſſet; ſed in totius poſteritatis interitum, ne illam contriſtaret, quam Deus illi ſociam adjunxerat, Creatoris ſui præceptum perfregit, hanc tantum ſuo imperio obedientiam præſtolantis, ut ampliſſimam utrique in terra, & in cœlo felicitatem propriam faceret, æternamque.

Abſalonis exemplum.

Qua aſſentatione uſus eſt Abſalon, ut populum in ſuas partes alliceret, & contra patrem ſuum ſuſcitaret? Licet ferox, atque indocilis eſſet, præ foribus tamen regiis, ſingulos ingredientes, & egredientes accerſebat, amplectebatur, quid negotii haberent, percontabatur, & ſeditioſa contra Regem miſcens colloquia, doloſis blanditiis, fictiſque promiſſionibus, in eorum animos rebellionis jaciebat ſemina, illiſque ſenſus ſuos communicabat. Vix credi poteſt quantam in populi corda vim hujuſmodi illecebræ habuerint; crediderunt ſibi per quam utiliter conſulturos, ſi Abſalonem in Regem eligerent; ejus quippe ſuavitas, & comitas illos in ſpem adduxerunt omnia futura ſibi tranquilla, atque jucunda. Itaque moræ impatientes ne momentum quidem expectare voluerunt, atque armis juverunt filium bellum patri inferentem.

Adulatio Pſeudoprophetarum Achab.

Achab Rex Iſrael cum bellum inferre vellet, quadringentos conſuluit Pſeudoprophetas, totidem videlicet adulatores, quos enutriebat, eoſque percontatus eſt, utrum bellum, quod erat ſuſcepturus, juſtum eſſet, & an exitus ejus e voto eſſet ceſſurus. Nullum hoc juſtius unquam fuiſſe bellum, palpatores illi reddidere; atque Dei nomine certiſſimam Regi victoriam ſpoponderunt: *Aſcende, & dabit eam Dominus in manu Regis*. (3. Reg. c. 22.) Michæas unus veri Dei Propheta hanc aſſentationem ferre non potuit, atque divino afflatus numine pernicioſo conſilio, quod conductitii Prophetæ dederunt, adverſatus eſt; & quo magis hi conabantur perſuadere Regi, ut caſtra moveret, eo magis nihil tale aggrediendum Michæas affirmabat. Quid inde? Michæas eo quod intrepide veritatem aſſeruerat, male habitus fuit, atque in carcerem conjectus; ſed Achab funeſta morte luit pœnas criminis ſui, quod blandis Pſeudoprophetarum lenociniis aures præbuerat.

Adulatio aulicorum Aſſueri. Eſther. c. 1.

Enim vero nequius inveniri ne poteſt adulationis exemplum, quam quod Mamucha præcipuus Regis Aſſueri Miniſter ſuppeditat? improbus hic conſiliarius numquam probare debebat Regis imperium, uxoris ejuſdem verecundiæ maxime contumelioſum. Inter celeberrimi illius convivii pateras, cum jam in poculis rationis uſus evanuiſſet, Rex ut oſtentaret pulchritudinem Vaſthi, hanc accerſivit, intuitus, & fortaſſe concupiſcentiæ Aulicorum ſuorum objectum futuram. Sapiens mulier parere noluit imperio, quo æque lædebatur, & ipſius pudor, & lex Perſarum, qua cautum fuerat, ne mulieres hujuſmodi cœtibus intereſſent. Reginæ excuſationem ſuæ auctoritatis contemptum Rex arbitratus eſt; atque iræ impotens uxorem adeo ſapientem, ac tanta virtute ornatam abdicavit. Hęc tamen adeo manifeſta injuſtitia tot ſuffragatores in Regis aula adinvenit, quot adulatores, qui adeo perfrictæ frontis fuere, ut Vaſthi Majeſtatis ream eſſe affirmarent; quod ut probaretur, non defuerunt rationes ab adulatione excogitatæ, & Mamucha prior dedecus hoc ad omnes Aſſueri ſucceſſores cenſuit pertinere; quin interim pudiciſſima mulier ne unum quidem innocentiæ ſuæ patronum inveniret.

Indignum Salomonis facinus, ut pellicibus ſuis placeret.

Quid non auſus Salomon, ut idololatris mulieribus, quas deperibat, placeret? quouſque hoc eiſdem gratificandi ſtudium provexit? vel potius quouſque hoc eiſdem gratificandi ſtudium Regem hunc, olim ſapientiſſimum, non traduxit? Ipſe quoque idolis thus adolevit, dereliquit Deum patrum ſuorum, ut inanes Deos coleret, omnis penitus ſapientiæ oblitus, ut nequiſſimo amori, quo urebatur, faceret ſatis.

Dei Filius ferre non potuit adulatores.

Dignum profecto, quod notetur in Evangelio illud eſt, quod Dei Filius, qui ſumma cum lenitate flagitioſiſſimos etiam peccatores excepit, ac neminem repulit, qui ad ipſum accederet; tamen ferre minime potuit adulatores, quin illis indignationem ſuam teſtaretur, & eos acrius increparet. Hoc autem accidit, cum quadam die venerunt Scribæ & Phariſæi illum tentaturi. Incœperunt illi quidem laudibus, atque ad animum captandum compoſito officio; *Magiſter, ſcimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces*. Matth. 22. Novimus nihil te movere auctoritatem eorum, qui aliquo honore fulgent, dic ergo, ea qua ſoles libertate, quid ſentias de hac re, quam ſumus expoſituri ...... Quomodo nam exiſtimatis ab illo, qui erat veritas eadem, ſimulatum hoc officium adulationis refertiſſimum exceptum iri? Num putatis, illum reciproca urbanitate illis, quid ſentiat, prolaturum, vel eamdem præ ſe laturum reverentiam erga illos, quam ipſi erga eumdem verbis adeo officioſis fuerant teſtati? Haud ita. Non fefellit ipſum illorum improbitas; ideoque eos acriter increpavit quemadmodum merebatur eorum nequitia; qua, ut deciperent, adulabantur. Adde, quod hic idem Dei Filius, qui numquam paſſus eſt, quemquam ſibi adulari, licet ipſius ſermones, miraculorum fama, ac vitæ ſanctitas omnes populi plauſus, ac laudes conciliarent: hic, inquam, ſummis, principibuſque viris aures palpare minime voluit; & licet magnificis verbis Sancti Joannis elogium celebraverit, hoc tamen eo præſente præſtare noluit, ad omnem adulationis ſuſpicionem evitandam, ne ſibi videretur conciliare velle hominem adeo probatæ ſanctitatis, cujus fama late percrebuerat.

Pilatus ut Judæis placeret, Jeſum damnavit.

Exploratum eſt, a Pilato morti adjudicatum fuiſſe JESUM CHRISTUM, hac una de cauſa, ut placeret quidem Judæis, Cæſari vero non diſpliceret; quod unum exemplum ſatis eſſe poteſt, ut intelligatur, quot ſcelera perpetrare poteſt, qui alicujus gratiam, vel aucupari contendit, vel timet amittere. Pilatus ea in occaſione ignaviſſimum oſtendit animum, & ea indignum Romana probitate, atque inflexibili conſtantia, quam hactenus præ ſe tulerat. Palam enim fatebatur illius innocentiam, quem tamquam Majeſtatis reum in judicium adduxerant; & Evangelium explicitis verbis aſſerit, illum non ignoraſſe, quod per invidiam urgerent Judæi ut JESUS de viventium numero tolleretur; immo pronunciaſſe, nullam a ſe in hoc reo ſuſpicionem ejus criminis deprehendi, cujus nomine accuſabatur. Ipſe etiam obſtiterat Judæorum clamoribus, urgentium, ut mortis ſententiam ferret. Verum ubi audiit Pilatus ſibi Cæſaris iram intentari; ceſſit tandem, atque turpi timore perterritus credidit ut turbis placeret, JESUM eorum petitioni eſſe adjudicandum.

Scelera ex turpi complacendi ſtudio profecta.

Legimus in Evangelio Herodem Tetrarcham S. Jo. Baptiſtæ cædem inferri juſſiſſe, ut placeret Herodiadi, quæ magni hujus Prophetæ caput popoſcerat. Quamvis hunc princeps ille & magni faceret, & de Regno Dei diſſerentem libenter audiret, atque non niſi ægre, & cum triſtitia iniquiſſimæ petitioni ſubſcripſerit; plus tamen complacendi valuit deſiderium, quam ipſius conſcientię reprehenſio. Herodes alter, cui nomen Agrippas primus, & illius ſucceſſor, poſtquam de medio ſuſtuliſſet S. Jacobum ut placeret Judæis, JESU, diſcipulorumque ipſius perſecutoribus, quemadmodum in Actis Apoſtolorum narratur; in carcerem quoque conjecit S. Petrum reliquorum Principem, & Eccleſiæ caput, ut ipſum eodem mortis genere afficeret: *ſciens quia placeret Judæis*. (Act. 12.) Et aliquando poſt Felix Præſes, qui liberare debuerat S. Paulum, qui omnia ad unguem diluerat crimina, quæ eidem fuerant objecta, paſſus tamen eſt, eum in carceris ſqualore ſordeſcere, ſimili ductus gratificandi voluptate Judæis, qui a Feſto Præſidis hujus ſucceſſore Paulum damnatum iri ſperabant.

Inſigne Agrippæ ſupplicium qui ad populi adulantis vocem lætabatur.

Neque ſilentio prætereundum eſt juſtum, ſubitumque illius Herodis Agrippæ, quem ſupra memoravimus, ſupplicium. Deus, qui inſigni quodam ultionis exemplo nequaquam in illum animadvertit propter duplex ſcelus, quod in magna illa Apoſtolatus lumina Sanctos Petrum, atque Jacobum patraverat; repente eumdem percuſſit ſibimet plaudentem, atque tumentem adulationibus populi, ad quem de theatro veſte, auro, lapilliſque fulgenti concionem habuerat. Vix enim extrema protulerat verba, cum plaudentium clamoribus gaudens, atque lætis auribus excipiens blandas adulantium voces, quæ circumundique reſonabant; quaſi non mortalis hominis, ſed ipſius Dei vox ab illis fuiſſet audita; tanta affectus fuit voluptate ex hac impia aſſentatione, ut tamquam lucifer graviſſima ambitione intumuerit. Tunc vero ſtatim pœna ſubſecuta eſt, nam, Scriptura teſtante, ab Angelo Domini percuſſus fuit, ac paulo poſt a vermibus depaſtus interiit.

Applicatio quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Homines laudum cupidi libenter adulantibus præbent aures. *Iſaiæ 30.*

Loquimini nobis placentia. Iſaiæ 30. Ita loquebantur olim Judæi, qui ſalutaria Iſaiæ Prophetæ monita contemnentes, qui Dei nomine ipſos alloquebatur, atque illos tantum audire cupientes, qui ſuis conſiliis velificabantur, Pſeudoprophetis dicebant: *Loquimini nobis placentia*. Læta nobis nuntiate, non triſtia, quæ Cœlum nobis portendit. Ita illi etiam, qui ſunt laudum cupidi, quibuſque ſermones adulantium, ac fallentium placent, loqui conſueverunt. Nolunt ſibi veritatem dici, ſed illa ſolum, quæ fovent vanitatem, ambitionem, eumque affectum, qui in ipſis dominatur. Si te conſulunt aliqua de re, quam ſunt aggreſſuri, cave, ne illos a propoſita ſententia deterreas, licet hoc tibi injuſtum, ac non ferendum videatur; alioquin eorum tibi conflas invidiam; non enim ſapientum conſilia, ſed approbantium laudes inquirunt. Si quid ſentias de eo, quod egerunt, & quod illis attulit ignominiam, ſciſcitantur; factum ſuum tua auctoritate firmare adnituntur, ut, ubi alios id improbantes audierint, hoc te auctore ſe feciſſe profiteantur. Si, ut amicum decet, illos alloqueris, te veluti alienum putant, neque places, niſi eorum facta commendes: *Loquimini nobis placentia*. Denique niſi quod volunt, & ipſe velis, niſi omnia & dicta, & facta probes, niſi illis velificeris; eiſdem numquam placebis: *Loquimini nobis placentia*.

Duplex cor adulantis.

Labia doloſa in corde, & corde locuti ſunt. Pſal. 11. Hæc verba non aliter melius, quam adulatoribus applicari poſſunt; cor duplex eſt illis; aliter cogitant, aliter loquuntur; cum te laudant, ex corde loqui videntur; ſed aliud cor illis eſt prorſus oppoſitum dicens, teque clanculum improbans. Cor alterum ſincerum quidem videtur; ſimulat enim particeps eſſe lætitiæ, qua perfunderis eo quod omnia tibi e voto ceſſerunt; ſed alterum te contemnit, atque irriſiones, cenſuraſque tantummodo meditatur. *In corde, & corde locuti ſunt*. Ita ubi hujuſmodi aſſentatores te coram adſtant, pro te loquuntur, te approbant, te laudibus extollunt; at ubi receſſeris, veros ſenſus nequeunt diſſimulare, & in probra, & cachinnos erumpunt. Duplex cor, lingua ſimilis gladio ancipiti, ut ait Propheta: amicus infidelis, palpator, ſubdolus, ſeducendo, atque fallendo ſemper intentus. *Labia doloſa in corde, & corde locuti ſunt*.

Adulatio numeris muſicis comparata.

Audiunt ſermones tuos, & non faciunt eos, quia in canticum oris ſui vertunt illos. Ezech. 33. Dicebat Deus Ezechieli Prophetæ, Populum cum ille ad eum loquebatur, quidquid audiebat, in quodam veluti canticum, numeroſque muſicos convertiſſe. Verum hoc de illis omnibus affirmari poteſt, quibus adulantium verba placet audire. Nullus gratior concentus eſt laudibus noſtris; hoc jucundum melos vix aures tetigit, cum cor ipſum pervaſit, ibique tamquam impreſſum permanſit. Hinc autem fit, ut veluti qui numeroſam audivere ſymphoniam, intra ſe repetunt, ſiquid retinuerunt; ac efficere nequeunt quominus auditos numeros, ac verba, nonnunquam integro horarum ſpatio ſecum meditentur: vel ſaltem quominus hi numeri, & hæc verba ſubinde illius ſubeant cogitationem, eaque illi conentur exprimere interciſis motibus, ac vocis modulamine, quod ne cogitanti quidem elabitur: ita qui ſimulatis oblectantur elogiis grato eorum ſono capiuntur, has laudes animo retinent, frequenter eas meditantur, ac in earum recordatione toties repetunt ſcelus criminoſæ illius oblectationis, qua in fictitiæ virtutis ſuæ perfunduntur imagine, quam deinde abjicere nequeunt.

Attendite a falſis Prophetis. Matth. 7. Hæc JESU CHRISTI verba non minus ad eos pertinent, qui conſcientias fallunt, quam ad illos, qui mentes in errorem inducunt. Graviſſimæ ſunt Dei querimoniæ illæ, & graviora mala, quæ in Scripturis annuntiat doctoribus cæcis, atque complacere geſtientibus, qui ſubtiliſſimas excogitant rationes, ut Deum cum mundo concilient, qui turpi conniventia peccatorum numerum in immenſum augeri patiuntur, qui, cum debeant animas a flagitiorum ſemita detorquere, eas fovent potius, ne ſperatum inde lucrum amittant. Væ, inquit Deus per os Ezechielis Prophetæ, Væ illis qui peccatoribus pacem annuntiant; *Væ qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus*. Ezechiel. 13. Væ illis, qui nihil exigunt ab hominibus, quod dolorem adferat, atque moleſtiam.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, ſententiæque Sanctorum Patrum hujus argumenti.

F*Alſa laus adulatio eſt, falſa laus adulatoris, hoc eſt oleum peccatoris*. Aug. Comment. in Pſalm. 140.

Tales (adulatores) mendacia diligunt, veritatis deſtructores, odiorum inventores, Sathanæ mediatores. Idem, in Pſalm. 119.

Beata mens quæ perfecte hoc vitium vincit; quæ nec adulatur aliquando, nec adulatori credit; quæ nec decipit alterum, nec ipſa decipitur. Idem Epiſt. 17. ad Demetr.

Adulantium linguæ alligant animas in peccatis; delectat enim ea facere, in quibus non ſolum non metuitur reprehenſor, ſed etiam laudator auditur. Idem, in Pſalm. 9.

Duo ſunt genera perſecutorum, ſcilicet vituperantium & laudantium; ſed plus perſequitur lingua adulatoris, quam manus perſequentis. Idem, in Pſalm. 59.

Adulatio eſt fallaci laude deceptio. Idem, in Pſalm.

Si laudes iniquum, eo ipſo quod iniquus eſt, nonne & tu iniquus es? Idem, in Pſalm. 134.

Falſa laus adulatoris, & ſimulata dilectio, mentem a rigore veritatis emollit. Idem, in Pſalm. 59.

Adulatio amicitiæ inimica. Aug. Epiſt. 135. ad Sever. Abbatem.

Non facis mala; ſed ſi laudas male facientem, hoc non parvum malum eſt. Idem, in Pſalm. 49.

Laudator errans confirmat errorem, & adulans illicit in errorem. Idem, in Prooem. libr. de Trinit.

Qui laudari vult ab hominibus vituperante te, non defendetur ab hominibus judicante te, nec corripietur damnante te (o Deus.) Idem, lib. 10. Conf. c. 36.

Hoc in noſtra ætate vitium crevit, & in ultimo fine ſtetit, nec augeri poteſt. Idem, Epiſt. 14.

Semper inſidioſa, callida, blanda eſt adulatio. Hieron. lib. 1. contra Pelagianos.

In multis, iſto maxime tempore regnat hoc vitium; quodque eſt graviſſimum, humilitatis ac benevolentiæ loco ducitur; eo fit, ut qui adulari neſcit, aut

invidus, aut ſuperbus putetur. Idem, Epiſt. ad Cœlantiam.

Natali ducimur malo, & adulatoribus noſtris libenter favemus; & quamquam reſpondeamus nos indignos, & callidus rubor ora perfundat, tamen ad laudem ſuam anima intrinſecus lætatur. Idem, Epiſt. 121.

Nihil eſt quod tam facile corrumpat mentes hominum, ſicut adulatio; plus enim nocet lingua adulatoris, quam gladius perſecutoris. Idem ſupr. Pſalm.

Adulatores corrumpunt fictis laudibus leves animas, & male credulis mentibus blandum vulnus infigunt. Idem, vel Author Epiſtol. ad Demetriad.

Hæc eſt conditio veritatis, ut eam ſemper inimicitiæ ſequantur, ſicut per adulationem pernicioſam amicitiæ corrumpuntur: libenter enim quod delectat auditur, & offendit omne quod nolumus. Idem, in Epiſt. ad Galatas.

Adulatio recte definitur blandus inimicus. Idem, lib. 2. adverſ. Pelagianos.

Palpantes adulatores quaſi hoſtes fuge. Idem, Epiſt. 13.

Sicut adulantes amici pervertunt, ſic inimici litigantes plerumque corrigunt. Auguſt. lib. 9. Confeſſ.

Magis optabo a quolibet reprehendi, quam ab adulante laudari; nullus enim reprehenſor formidandus eſt amatori veritatis; laudator vero errat & confirmat errorem. Idem lib. 2. contra Petilianum.

Juſtos laus ſua cruciat, iniquos exaltat. Greg. l. 26. Moral. c. 23.

Quiſquis male viventibus adulatur, pulvillum ſub capite jacentis ponit, ut qui corrigi ex culpa debuerat, in ea fulcitus laude quieſcat. Idem, Homil. 4. ſupr. Ezech.

Impinguat caput oleum peccatoris, cum demulcet mentem favor adulantis. Idem, Hom. 12. in Evang.

Nemo adulantem ſe, neque adulandum cuiquam exhibeat; alterum enim calliditatis eſt, vanitatis alterum. S. Ambroſ.

Vectigalis amicitia. Idem, lib. de Offic. c. 16.

Multi ſunt qui pro bonis malas actiones comprobant, & vitia virtutibus vicinis honeſtare contendunt. Baſil. in Pſalm. 27.

Cognatum virtutibus vitium adulatio. Cypr. Serm. de jejun. & tent. Chriſti.

Amicus videri vult adulator; nihil amico inimicum magis. Idem, ibid.

Adulatorum aſſentationes velut quaſdam peſtes animæ fuge; nihil eſt quod tam facile corrumpat mentes hominum, nihil quod tam dulci & molli vulnere animum feriat. Sanctus Paulin. ad Cælantiam.

Inſipiens gaudet laudari in faciem; ſapiens autem quando laudatur in facie, flagellatur in corde. Greg. Homil. 17. in Matth.

Collaudare delinquentes longe plus eſt, quod ad ſupplicii pertinet æſtimationem, quam delinquere. Chryſoſt. Hom. 2. de David & Saul.

Nulla gravior tentatio, quam in doloſum hominem (adulatorem) incidere; is enim eſt quavis fera truculentior. Chryſ. in Pſalm. 119.

Adulatores magis quam contumelioſos vitemus; major enim non attendentibus ex adulatione peſtis, quam ex vituperatione oriri ſolet. Idem, Homil. 89. in Matth.

Dæmonum miniſter adulator, ſuperbiæ dux, bonorum demolitor, erroneus ductor. Climac. Grad. 22.

Emolliri adulationibus non ſolum fortitudinis non eſt, ſed etiam ignaviæ eſſe videtur. Ambroſ. lib. 2. de Offic.

Qui de amore non venit honor, non honor, ſed adulatio. Bernard. ſup. Cantic.

Peſſima vulpes occultus detractor; ſed non minus adulator blandus. Idem, Serm. 63. in Cantic.

Habet vera amicitia nonnunquam objurgationem, adulationem nunquam. Idem, in epiſt.

Peccati nutrix adulatio. Beda, in Luc. lib. 1.

Venit ad me pro amico blandus inimicus. Seneca, Epiſt. 21.

Cito nobis placemus, ſi invenimus qui nos bonos viros dicant, qui prudentes, qui ſanctos. Idem, Epiſt. 60.

Habent hoc in ſe naturaliter blanditiæ, etiam cum rejiciuntur, placent. Idem, in præfat. lib. 4. natural. Quæſt.

Amici vitia ſi feras, facis tua. Idem.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia depromi poſſit ad hoc argumentum.

Adulationis definitio.

ADulatio ex S. Auguſtino *eſt fallaci laude deceptio*; cui definitioni adde, ut in decepti amicitiam irrepas, vel illi placeas eumdem in bona ſuæ virtutis opinione confirmans, vel illi perſuadens, quod ſit aliqua virtute decoratus.

2. 2. qu. 125.

Aliam adfert definitionem D. Thomas, ſed quæ eamdem adſtruit ideam; eſt, inquit ille, immodicum alicui placendi deſiderium verbo, vel opere expreſſum. Sed ad veram adulationis notionem aſſequendam, conſiderari ipſa poteſt tum ratione adulantis, tum ratione illius, cui adulatur, vel cui laudari placet. Prior illa, teſte S. Ambroſio, turpis eſt, ſervilis, ac animo generoſo, & nobili indigna; altera vero ſuperbiæ peccatum eſt, quod omne actionum noſtrarum meritum corrumpit, atque ſubvertit; unde infertur de duobus his vitiis aliter eſſe differendum, atque variis utendum argumentis ad ea corripienda.

Quoddam placendi ſtudium honeſtum eſt.

Notandum eſt tamen apud Philoſophos, Theologoſque in virtutum album relatam fuiſſe quamdam indulgentiæ ſpeciem, quæ efficit, ut eorum, quibuſcum verſamur, moribus, & ingeniis noſmet accommodemus; videlicet ea laudemus, & probemus, quæ in hominibus laudanda, probandaque occurrunt, citra tamen affectationem, nec ſine modo; eaque virtus affabilitas nuncupatur. Itaque laudare aliquem coram eodem, & bonum eſſe poteſt, & malum juxta laudantis animum, occaſionem, modumque laudandi. Si enim hæ laudes modicæ ſint, atque prudenter prolatæ, quæ non officiant veritati, ut aliquis ad recte operandum excitetur, nullus dubitandi locus eſt, quominus hoc ſit zeli, & charitatis officium. Si hac laude eam probare cupis virtutem, quæ in laudato eniteſcit, juſtitiæ actus eſt; ſi urbanitatis ergo, atque ut oſtendas te ex illius bono lætari, hoc eſt amicitiæ teſtimonium, atque officium, quod quibuſdam in occaſionibus a nobis honeſtas expetit. Sed ſi hoc feceris adulandi cauſa, vel utilitatis ſpe, vel conſilio illum decipiendi, ſemper vitium eſt, ac grave peccatum.

Adulatio pluribus virtutibus adverſatur.

Adulatio in communi ſignificatione deſumpta opponitur veritati, fictitias, immodicaſque laudes deferens; charitati, laudatum decipiens, eique ſuperbiæ tribuens occaſionem; at præſertim juſtitiæ duplici modo, duplicique de cauſa. Primo quia veram laudem corrumpit, quæ virtutis unius merces eſt, ita ut quamvis aſſentator jure laudet virum vere dignum laude, nulla unquam fides habetur hujuſmodi exiſtimationis, honoriſque teſtimoniis, quoniam horum prodigus habetur erga illos, qui eadem nequaquam merentur. Secundo, quia adulator ut plurimum vitiis virtutum ſpeciem, ac nomina tribuit; hac in re ipſis monetarum adulteratoribus nocentior, qui in fictitio metallo Principis excudunt imaginem; non enim hominem, ſed ipſum Deum lædit, laudans peccatum, quod ille perhorreſcit, & cujus eſt acerrimus hoſtis.

Gravitas peccati adulantium.

Peccant illi, qui alienas virtutes, & facta celebrant ultra quam par eſt, & quemadmodum loquitur Sanctus Thomas, illa extollunt ultra eos cancellos, intra quos laus humana contineri æquum eſt. Hinc vero concludit, adulationem, qua alicujus turpe facinus commendatur, grave peccatum eſſe, atque lethale, quia Dei quidem primum charitatem, atque juſtitiam, mox vero, & proximi charitatem offendit. Hoc ipſum dicendum quoque tum de illa, qua quis ad aliquem decipiendum, eique magnum aliquod damnum ſeu ſpirituale, ſeu temporale conflandum abutitur, tum de illa, quæ alicui peccandi præbet occaſionem eo modo quo per ſcandalum peccari poteſt. Hoc Sanctus Thomas verbis docet diſertiſſimis. Quod vero ad illam ſpectat, qua ex ſola placendi cupiditate, vel ad malum aliquod evitandum, vel ad aliquod obtinendum beneficium, quis adulatur; hæc non ſemper æque noxia cenſenda eſt, licet ſemper ex natura ſua ſit criminoſa.

Hoc vitiū ingentium malorum cauſa.

Mala, quæ parit adulatio, tum palpatoribus, tum palpari geſtientibus, graviſſima ſunt; quapropter hoc vitium ſemper habitum fuit veluti peſtis civilis ſocietatis, & graviſſimorum malorum origo. Sanctus Thomas, aliique plures hinc idololatriam profectam aſſerunt; populi quippe ut Impe-

rato-

ratoribus, Regibuſque adularentur, eos in Deorum numerum ſolemnibus apotheoſis ritibus retulere; quæ impietas etiamſi nunc minime ſit metuenda, mortales enim majori ſunt luce illuſtrati; negari tamen minime poteſt, hanc ſummis viris inſpirare ſuperbiæ ſenſus, neque Deo, neque hominibus ferendos. Hac arte in vitiis, ſceleribuſque ſuis detinentur; ultiones, quas exercent, laudantur; eorum impotentia, & tyrannice facta probantur: libidines illorum excuſantur, & vitiis, quæ turpiſſima ſunt, atque teterrima, virtutum nomina deferuntur. Sin autem illud ad examen revocetur malum, quod parit adulatio in iis, qui eamdem, tamquam quæſtuoſiſſimam artem exercent; quidam cum Divo Joanne Chryſoſtomo ſentiunt, adulationem ipſa obtrectatione eſſe nequiorem, majorem enim proximo infert injuriam; putant alii, pejus eſſe malum, aliena peccata verbis & laudibus celebrare, quam eadem perpetrare; cenſent alii, alieni ſceleris participem fieri illius laudatorem; alii denique affirmant, malum, quod laudato parit adulatio, ſemper minus eſſe malo, quod ſibimet infert. Verum cum hæc omnia hinc inde poſſint diſputari, ſi ad rectam judicii trutinam ponderentur, dicimus tantum, adulationem peccatum eſſe tum adulanti, tum illi, cui placet adulatio, pernicioſiſſimum.

Modus in laudibus adhibendus.

Quemadmodum & omnibus placere velle, & nemini, utrumque vitium eſt æque civili oppoſitum ſocietati, Fidelis intereſt utrumque hunc ſcopulum evitare. Hæc autem præcepta ſunt, quæ in rem hanc & a morum Philoſophia, & a Religione traduntur. 1. Ne quid laudes, niſi quod tuam, alienamque approbationem mereri putas, numquam vero vitium, aut id quod aliquam mali ſpeciem præſefert. 2. Libentius, & ut ita dicam, liberalius viros, quorum inſigne meritum eſt, abſentes, quam præſentes extollas; tunc enim magis quidem ſincera, minus vero ſuſpecta noſtra habentur elogia. 3. Si facere non poſſumus, quin Summos, Principeſque viros, & qui ſupra nos ſunt, coram laudemus, atque probemus, has laudes neque immodicas eſſe oportet, neque fictas, alioquin veræ ſunt adulationes. 4. Niſi omnia probare poſſumus, quæ dicunt, vel faciunt homines, cum quibus verſamur, tamen ne adeo aſperos ac difficiles noſmet præbeamus, ut improbemus omnia; ſi palam ſe ſe malum non prodit, & in meliorem partem explicari poteſt, tunc eo uſque indulgentia noſtra procedat, ut quod ſentimus, diſſimuletur, potiuſquam criticorum, cenſorumque importunorum ſupercilium induamus.

PARAGRAPHUS VI.

Loci ex Aſceticis, recentioribuſque Concionatoribus in hoc argumento delecti.

Diſcrimen inter invidos, & adulatores.

ANimadvertit S. Baſilius, vitiis, virtutibuſque nonnullis adeo ſimiles colores eſſe, ut dignoſci haud ita facile poſſint. Prodigalitas, exempli gratia, quamdam præſefert ſpeciem Magnificentiæ, temeritas Fortitudinem imitatur, hypocriſis quemdam habet extrinſecus pietatis habitum; quæ res duplici flagitioſorum hominum generi tribuit occaſionem hac abutendi ſimilitudine, invidentibus ſcilicet, atque adulantibus. Adulator enim vitia in virtutes convertit, invidus e contra virtutes in vitia; ille Principum virorum flagitia celaturus, illis virtutum colorem tribuit; hic virtutum fulgorem obſcuraturus, illis vitiorum colorem appingit. Si prodigus es, adulator te magnificum appellabit; ſi liberalis, invidus prodigum dicet. Si temerarius, adulator fortem, atque generoſum loquetur; ſi fortis, invidus tibi temeritatis notam inuret. Quid adulator fictis laudibus contendit? nempe ut ditior fiat, ac gratiam aucupetur. Quid invidus? ut aliorum opibus officiat? *Pater Novet Tomo 5. Meditationum.*

Principibus viri omnes fere adulantur, pauci eos de ipſorum defectibus audent admonere.

Invenient quidem viri nobiles ſervos fideles, qui eos de periculis vitæ aut fortunis impendentibus moneant; qui illis diligenter obtemperent; qui eorum temporalia negotia integerrima fide procurent; at quotuſquiſque erit ille, qui de vitiis eorum ipſos admoneat, periculum veritus, ne eorum gratiæ jacturam ſubeat? Hæc quidem ſumma integritas eſt, cujus vix, & ne vix quidem exemplum invenies. Si diſſimulas, certo ſcis te placere; ſi veritatem prodis, magnum aliquid conſequeris, ſi minime diſplices. Quis autem negligere poterit eam cupiditatem, qua quilibet eum ſibi conciliare quærit, a quo felicitatem ſuam conſequi poteſt? Illi etiam, qui animarum curam gerunt, ſe magnum aliquid præſtare putant, ſi ea tantum dixerint illis, quæ dicere tenentur: verum nihil prætermittunt, quod moleſtam hanc veritatem lenire poſſit; neque illa proponunt ea vi, quæ de rebellibus etiam animabus triumphat; non audent in majorem lucem proferre, non audent vitium oſtendere quantum eſt, & quantam illis conflet invidiam. Quinam igitur hoc tanti momenti officium illis præſtabit? *Pater de la Colombiere in Conſiderationibus.*

Adulatio animas probat.

Docet Spiritus Sanctus laudes viris bonis idem eſſe, ac ignem auro; & quemadmodum hujus metalli puritas probatur, ſi elementi illius vi omnia comburenti reſtiterit, ita animę magnę certiſſimum argumentum eſſe, atque indicium, ſi iis reſtiterit ſenſibus, quos corruptum os adulantium conatur immittere, atque eas denegare gratias, quas fictitiis laudibus attentatores emendicare elaborant. Hi enim ſemper lucelli alicujus ſpe ducuntur; ſtatim quidem laudare incipiunt, ſed laudes ſunt petitionis procœmium: contendunt enim, ut laudum ſuarum ſonitus animæ ſoporem immittat, eamque jucundo lenocinio deliniat, ut earum vi extra ſe rapta, dum ſe ipſam intueri gaudet in ſpecioſa imagine ſui ipſius, quam adulator ementitis coloribus illinit, de manibus ejus decidat, quod primum arctius premebat; atque vanis illecebris capta his nequeat amplius reſiſtere. Omnes hæc improba Syren fefellit, fallitque; ultro ea credimus, quæ de nobis venditat adulatio veritatis perſonam gerens. Adulatio adeo callide omnia componit, ut arbitremur quaſcumque illa pingit imagines nos ad unguem imitari. Nemo adulantibus aures penitus obſtruit; ſufficit ore ad modeſtiam compoſito laudes repellere, cum interim avidiſſime percipiuntur. *Maſcaron in quodam Panegyrico.*

Qui nobilibus viris adulatur, eos in erroribus detinet.

Oſeas propheta ſancto zelo ſuccenſus in miniſtros Domini invehitur, ubi videt, eos temporalis alicujus lucelli jacturam metuentes conticeſcere, & hominum increpare delicta non audere. Vix privatorum ſcelera audent exprobrare; quod vero miſerrimum eſt, cum peccatores ſunt potentes, nobileſque viri, ipſis etiam defectibus adulantur, quos monitis ſuis corrigere deberent veriti, ne loquendi libertas apud eoſdem ſibi conflet invidiam, atque ideo eam deſinant percipere, quam conſuerunt, utilitatem. Animabus eorum adulantur, inquit Propheta, eoſque in ſuis detinent iniquitatibus; quamobrem ipſi facti ſunt in interitum illis quorum ſaluti invigilare deberent per quam diligenter. Debebant ipſi curam omnem impendere, ne eorum animæ in tot errores, a quibus ſeductæ fuerunt, vel in morum corruptelam deciderent, propter quam a via Domini longius aberrent; & e contra facti ſunt in laqueum, quem Dæmon illis tetendit, ut in ſuas traheret inſidias, quin ſe ſe inde valeant expedire. *Liber cui titulus*: La vie des Prophetes. *In vita Oſeæ Prophetæ.*

Adulatio perſonam nobis accommodat.

Si laus virtutem alit, ac fovet, adulatio eam ſubvertit, vitium vero confirmat. Verumtamen inter utramque tantum ſimilitudinis intereſt, ut altera ab altera vix dignoſcatur. Verum enimvero inter plures characteres, quibus diſtinguuntur, tres præſertim elucent. Adulatio defectus ipſos tamquam virtutes celebrat; invenit ſæpe in laudato eas qualitates, quæ ibi non ſunt; ea vero, quæ ſunt, nimis extollit. Hinc fit, ut aſſentator nunquam te tibi exhibeat, qualis profecto es; tu te ipſum ſemper ignoras; putas augere virtutes tuas, & auges vitia; nullo amplius niſu contendis, ut virtutibus tuis accedat cumulus, & quæ in te deſiderantur acquiras. Quandoquidem ille tibi ſuadet, omnium virtutum poſſeſſionem te jam obtinuiſſe, non quæris ultra ad majorem gloriæ gradum provehi, putas enim te jam illius verticem attigiſſe. *Depromptum ex Tractatu de Amicitia Domini de Sacy.*

Adulatio efficit, ut veritatem odimus.

Hunc errorem ſtatim ferme univerſale veritatis odium ſubſequitur; quæ deinde inutili conatu exhibetur. Cum enim tuæ mentis ideas juxta eas, quas de te adulationibus ſuis aſſentator adſtruxit, compoſueris; quicumque tibi audet adverſari, vel te increpare, inimicus eſt, injuſtus, vel ſaltem cæcus, qui, quanti valeas, ſatis intueri non poteſt. Ita ille inani te paſcens gloria, veræ tradit infamiæ, palam quidem virtutibus tuis plaudit, clam vero tuam irridet inſaniam; tu temet admiraris; omnes vero te negligunt, atque contemnunt.

Præ-